

- H. A. Jarisch, *Biblich-Patristische Concordanz*. Wien, 1854.
 V. Houdry, *Bibl.-Patrist. Concordanz*. Reg., 1862.
 Sev. Lueg, *Bibliche Realconcordanz*. V. Aufl. Regensburg, 1900.
 Füßy T., *A Szentirás új concordantiája*. Pest, 1871.

2. Locorum parallelorum inventionem juvant etiam *lexica biblica*, quae pariter sunt *verbalia* et *realia*. Lexicon biblicum verbale est enumeratio alphabetica vocabulorum ac phrasium S. Scripturae (textus originalis vel translatus) una cum adjectione significationis et nonnunquam etiam cum designatione locorum atque explicatione formarum. Talia sunt omnia majora lexica linguae Hebraicae et Graecae biblicae, quorum enumerationem v. supra (pag. 91. et seqq.). Lexicon autem biblicum reale per litterarum ordinem describit et vario modo — etymologice, historice, archaeologice, theologice — explicat nomina, personas et res, quae in Bibliis memorantur. A concordantiis hoc differunt, quod istae tantum locos indicant vel citant, sed non explicant; lexica autem eos explicant, interdum plane multis verbis de iis disserunt.

Lexica biblica realia scripserunt *catholici*:

Aug. Calmet, Dictionnaire historique, crit. chronol. géogr. de la Bible. Paris, 1722. Genève, 1730. Versio Latina a Mansi, August. Vind. 1729—38. Adest etiam versio Germanica.

F. Vigouroux, Dictionnaire de la Bible. Paris, 1891. sqq. Per fasciculos editur.

Protestantes:

G. B. Winer, *Bibl. Realwörterbuch*. III. Aufl. Leipz., 1847. sq.

D. Schenkel, *Bibel-Lexicon*. Leipz., 1869—75.

W. Smith, *A dictionary of the Bible*. London, 1863. et 1896. Exsistunt etiam compendia.

E. C. A. Riehm, *Handwörterbuch des Biblischen Alterthums*. Bielefeld und Leipzig, 1884, II. Aufl. Ibid. 1893. sq.

Hastings and Selbie, *A dictionary of the Bible*. Edinb., 1898.

Cheyne and Black, *A dictionary of the Bible*. London, 1899. sq.

3. Locos parallelos exhibent etiam *libri dogmatici et morales*, qui locos ad singula dogmata, virtutes vel vitia spectantes e Bibliis colligere solent.

4. *Scholia et commentarii* Scripturam interpretando, saepe etiam locos parallelos adferunt.

5. *Editiones Bibliorum* locos parallelos saltem principales in margine indicant.

6. Multum etiam juvat diligens S. Scripturae lectio.

§ 39.

Utilitas locorum parallelorum.

Collatio locorum parallelorum multiplicem interpreti utilitatem affert. Unus locus alterum complet atque illustrat, et unus ex altero intelligitur. Generatim usus locorum parallelorum idem est atque argumenti orationis. Specialiter iis

1. *Illustrantur verba obscura et ambigua*, quae in loco parallelo aut cum clarioribus synonymis permutantur, aut epithetis, vel oppositis determinantur, aut contextu accuratius definiuntur.

Exempla. II. Reg. 8, 18. כֹּהֲנִים non sunt sacerdotes, quia I. Chron. 18, 17. cum רִאשֵׁי (principes) permutantur. — Ps. 75, 3. legimus: *Factus est in pace בְּשָׁלֶם locus ejus, et habitatio ejus in Sion*. Parallelismus docet voce *Salem*, voci Sion parallela, urbem Jerusalem significari. — Deinde Ps. 121, 7. *Fiat pax in virtute tua בְּהַלְלֵךְ* (in moenibus tuis) *et abundantia in turribus tuis*, textum masoreticum confirmat parallelismus, qui postulat sensum: fiat pax in moenibus, muris tuis. — Gal. 1, 18. 19. mentio itineris S. Pauli Hierosolymitani illustratur Act. 9, 27. sqq. Similiter Matth. 16, 28. intelligitur ex Marc. 8, 39. et Luc. 9, 27.; Matth. 24, 30. 31. ex 13, 41. sqq. 25, 31. sqq. Marc. 8, 38. I. Thess. 4, 16.; Matth. 3, 16. ex Luc. 3, 22.; Joan. 1, 3. *omnia ex nihil*; Matth. 4, 1. ex Luc. 4, 1.

2. Cognoscitur, utrum ambiguae voces, phrases ac sententiae proprie an tropice et quo sensu tropico sint accipiendae. Loci enim paralleli aut sensum tropicum excludunt, aut alia imagine clariore utuntur.

Ps. 17, 15. *sagittas tropice intelligendas esse docet vocabulum parallelum: fulgura*. — In sententia: *vermis eorum* (damnatorum) *non moritur, et ignis non exstinguitur* (Marc. 9, 43. sqq.), vermis et ignis imagines esse possunt, quia poena damnatorum alibi aliis imaginibus — tenebrarum, fletus et stridoris dentium — repraesentatur. (Matth. 8, 12. 25, 30.) — Glossolaliam Act. 2, 4. miraculosam fuisse confirmat Marc. 16, 17. ubi inter signa, credentibus promissa refertur; item Act. 10, 44—46. 11, 15. ubi donum linguarum Spiritui Sancto auctori adscribitur.

Verumtamen vox vel phrasis etiam a multis auctoribus constanter adhibita, tropica esse potest. Exsistunt enim *tropi constantes*, e. g. vox *fratres* (i. e. cognati) *Domini*. At voces, phrases et sententiae, in locis parallelis constanter de certa re dictae, etiam in casu dubio ad eandem referendae sunt. Ita e. g. *adventus Domini* multa

quidem in evangeliiis significat (adventum carnalem, spiritualem, moralem, historicum, internum, eschatologicum); sed ubi de adventu Christi angelis stipati et in nubibus caeli futuro sermo est (e. g. Matth. 24, 30. 31.), semper sollemnis parusia in fine saeculorum est intelligenda.

3. Loci paralleli docent *quibus limitibus notio vel sententia sit circumscribenda vel quousque extendenda*; sensus certe eousque restringendus vel extendendus est, ut cum locis parallelis conveniat. Auctor enim gravis et prudens sibi constare solet; itaque nec dictorum oblitus esse, neque sententiam mutasse praesumendus est.

Hinc in verbis Christi: *facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum* (Matth. 19, 24.), quidquid ceterum imago illa significet, absolutam divitiarum condemnationem intelligere prohibent, et ea sive ad divites bonis terrenis confidentes iisque adhaerentes restringenda, sive pro auxesi habenda esse praecipunt loci paralleli: Marc. 10, 24. et Matth. 19, 23. — Matth. 20, 28. et Hebr. 9, 28. phrasis: (Filius mortuus est) *pro multis, ad multorum exhaustiendae peccata*, vel extendenda est in omnes homines, pro quibus Christus revera mortuus est, vel restringenda est ad eos, qui salutis participes fiunt, ut docent loci paralleli: Matth. 18, 11. II. Cor. 5, 14. 15. I. Tim. 2, 4. 6. I. Joan. 2, 2. — *Lex, νόμος* in Novo Testamento saepe ad legem Moysis locorum parallelorum causa restringitur.

4. Collatio locorum parallelorum *totius historiae vel doctrinae perfectiorem clarioremque praebet cognitionem*, quam singuli loci. Loci enim paralleli alteri alteros complent atque illustrant. Id praecipue in libris sacris, imprimis Novi Testamenti, valet, utpote quorum auctores fere omnes illitterati, ex occasione et ad populi captum scribentes, nec otium neque necessitatem rem suam copiose diligenterque tractandi habuerint. Hi ergo rem uno loco non omni ex parte, neque ordine pertractant; sed ea tantum proponunt, quae occasio, finis et lectorum necessitas postulant.

5. Saepe ex locis parallelis apparet, *utrum aliquis de sua ipsius an de aliorum sententia locutus sit*. Si loquens coram diversis auditoribus et in variis circumstantiis eandem sententiam constanter profitetur, suam persuasionem dixisse censendus est; mutatis enim auditoribus et circumstantiis, certe mutaret sententiam, propriae menti alienam. Si autem aliquis sententiam pro re nata mutat et variat, suspicio est, eum aliquando persuasionem dissimulasse et ad mentem aliorum locutum esse. (Potuit tamen persuasionem revera mutare.)

6. Denique loci paralleli *alia etiam interpretationis instrumenta juvant: nexum*, praesertim historicum illustrant, *occasionem sermonis et consilium* loquentis indicant.

7. Parallelismus aliquando *ad ipsum textum corruptum emendandum valet*.

E. g. locus Ps. 21, 17. *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea* in textu masoretico habet vocabulum: פָּאָרִי, quod significat: *sicut leo*, qua lectione parallelismus plane tolleretur. Parallelismus tamen secundum antiquas versiones (LXX. Vulg. Peřito) adest, quarum auctores legerunt: פָּאָרִי et interpretati sunt: (quia) *foderunt*.

§ 40.

Regulae in usu locorum parallelorum.

1. *Loci paralleli a similibus distinguendi sunt*; seu cavendum est, ne loci mere similes pro parallelis habeantur.

E. g. loci mere similes sunt: Gen. 12, 10—20. et Gen. 20, 1—18. item Gen. 26, 6—11. ubi patriarchae (Abraham et Isaac) uxores suas (Saram et Rebecam) tamquam sororem in terra aliena iterato dissimulasse narrantur. — Quamquam in multis similis, tamen alia est unctio Christi a muliere peccatrice Luc. 7, 37. sqq. et a Maria facta, Matth. 26, 6. sqq. Marc. 14, 3. sqq. et Joan. 12, 1. sqq.; loco enim et tempore inter se differunt. — Similiter distinguenda est multiplicatio panum prima (Matth. 14, 15—23.) a secunda (Matth. 15, 32—39.); — deinde purgatio templi prima (Joan. 2, 14—17.) a secunda (Matth. 21, 12. sq.). — Diversa etiam est parabola Matth. 25, 14—30. et Luc. 19, 12—27.

2. *Loci paralleli harmonice interpretandi sunt*; nullus igitur eorum ceteris neglectis praefertur, sed omnium ratio habeatur.

E. g. In diversis Scripturae locis de variis salutis mediis est sermo: modo fides, modo opera bona, nunc satisfactio et gratia Christi, nunc cooperatio hominis commendantur; minime tamen aliae conditiones excluduntur. Erraret ergo interpres, qui unam salutis conditionem solam necessariam putaret, locosque eam solam suadentes tamquam sibi faventes allegaret.

3. *Locus secundarius ex insigniore, exilior ex uberiore, obscurior e clariore intelligendus est*. Regula haec vere superflua esset, nisi tam saepe in eam peccaretur, locum insignem, prolixum et clarum per locum deteriore explicando. Ii hoc facere solent, qui sen-

sum loci perfectioris rejiciunt, ut obiter atque obscure dictis placita sua ingerere possint.

4. *Locus parallelus ejusdem auctoris praeferendus est locis alius auctoris*; optimus enim quisque suorum verborum interpres. Excipe locum uberiores vel clariorem alius auctoris, quem constat loci, de quo agitur, sensum bene novisse. Quum autem auctor principalis omnium librorum sacrorum idem sit Spiritus Sanctus: in Bibliis omnes loci paralleli, quatenus res ipsa spectatur, ejusdem sunt auctoris. In parallelismis autem verbalibus, quum lingua et elocutio auctorum humanorum propriae sint, valet regula superior; ergo in his loci ejusdem auctoris humani praeferendi.

Loci paralleli eandem rem tractantes, qui inter se non congruunt, vocantur loci pugnantes. Si tales loci revera inter se repugnant, pugna est *vera* (antilogia, enantiosis); si autem pugnare tantum videntur, pugna est *putativa* seu *apparens* (enantiophania). De locis pugnantibus alibi ex professo agetur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Investigatio sensus rhetorica.

(Rhetorica biblica.)

§ 41.

Character elocutionis biblicae.

Elocutio seu stilus a Cicerone definitur: idoneorum verborum et sententiarum ad res inventas accommodatio. Elocutio significat tum linguae proprietatem ac perfectionem (stilus grammaticus), tum orationis formam: perspicuitatem, subtilitatem, sublimitatemque cogitationum, selectionem ornatumque verborum, et ordinem sententiarum (stilus rhetoricus). Hoc loco de stilo rhetorico Bibliorum acturi sumus.

Sensum orationis ab elocutione, praesertim tropica ac figurata dependere, ratio et experientia docet. Sermo autem biblicus tanta elocutionis ubertate atque audacia excellit, ut a nobis, hominibus modernis et occidentalibus, nisi diligenti studio adhibito, intelligi vix, aut saepe omnino non possit. Verissime jam S. Augustinus dixit: »Multa in Scripturis sanctis obscura, cognito

locutionis genere, dilucescunt.«¹ Speciatim proprietates elocutionis biblicae sunt:

a) *Simplicitas cum sublimitate*, subtilitas, gratia et vis orationis, sine omni sapientiae ac facundiae humanae studio. Nihil est, quod hac in re imprimis evangelii vel comparari possit.

b) *Oratio popularis* idest dicendi genus communi omnium iudicio popularique intelligentiae accommodatum. In Scriptura enim Deus ad homines omnium locorum et temporum, cultiores incultosque nuntium mittit; ita ergo loquitur, ut ab omnibus intelligatur.

c) *Lacunae* in narratione et doctrina. Auctores enim sacri religionis ac morum causa, plerumque occasione data libros scribentes, de integritate et ordine relationis minus erant solliciti.

d) *Troporum ac figurarum abundantia*, quae partim e vivida imaginatione fervoreque animi orientalium, partim ex argumenti sublimitate nascitur. Tropi autem depromuntur tum de natura physica,² tum de vita humana — de re rustica, pastoricia vel bellica — tum de rebus sacris, tum ex historia populi electi.

e) *Repraesentatio concreta* et rei descriptae paene sub aspectum subjectio, item fuga idearum abstractarum.

f) *Obscuritas*, quam antiquitas ac patria librorum sacrorum remota et ipsa mysteria proposita gignunt.

g) *Indoles divina et humana*, naturalis et supernaturalis, duplici auctori respondens.

S. Scriptura nonnullos continet libros in totum poëticos,³ praeterea multas partes poëticas, libris historicis, didacticis ac prophetis insertas, adeo ut circiter una tertia pars Antiqui Testamenti sit poëtica. Poësis Hebraica, universa quae exstat, est sacra et religiosa. Nonnulla tamen vestigia poësis profanae, praeter

¹ Retract. II. c. 54. — Idem S. Augustinus ait: »In Scripturis per homines more hominum loquitur Deus.« Civ. D. XVII. 6. — »Nullo locutionis genere loquitur Scriptura, quod in consuetudine hominum non invenitur, quia utique hominibus loquitur.« De Trin. I. 12. — »Scriptura nostra, quomodo loquitur, sic intelligenda est; habet linguam suam; quicumque hanc linguam nescit, turbatur.« Tract. 10. in Joan. c. 2.

² In S. Scriptura 250 nomina botanica inveniuntur, eaque potissimum in imaginibus.

³ Masoretæ tres libros poëticos agnoscunt: Psalterium, Job et Proverbia; sed iis adnumerandi sunt libri: Ecclesiastes, Canticum, Threni, Ecclesiasticus et Liber Sapientiae.